

NAVICVLAM NVPTIALEM,
 NOBILISSIMO SPONSORVM PARI,
GERHARDO THOMAS,
 REIP. THORVNENS. CONSVL ET SCHOLARCHÆ,
 UT ET
BENIGNÆ,
 NATALIBVS LICHTEFVSSIÆ,
 VIRGINI OMNIYM ÆTATIS SVÆ FLORENTISSIMÆ,
 PRO NOVA EXPEDITIONE,
 D. IIX. AVGVST. M DC XC.
 BONO CVM DEO
 INSTITVENDA,
 AB ORIS MARITIMIS
 LLM.
 MITTIT
PAVLVS PATER.



Proverb. XXXI.

Mulier strenua similis est Navibus.

THORVNII,

Imprimebat IOANN-BALTHASAR BRESLERVS.

MAGNIFICE DOMINE,

Dum Navem conscendo,
& beatissimam terram, furente
Syrio, collustro: dum fortunato-
rum insulas, quarum amoenita-
tem vox nulla exprimit, cogitabundus contu-
eor: nec tam Succinum, & abundantem re-
rum omnium copiam, quam reliqua Prusiae
admiranda, a profundi oris scriptore, in Ger-
mania sua laudata, tacite admiror, omnino eo-
rum subscribo sententiae, qui Iovem, si negle-
cto coelo in terris degere eligeret, non alibi,
quam hic, sedem certam fixamque locaturum,
edixerant. Haec meditatus, simul memoriam
subit, TE, Iasonem nostrum, identidem na-
vem mox ingressurum, cuius felicitate, ap-
paratu & divitiis, in hunc diem stetit humana
res: proque obtinendo Aureo Vellere, in Col-
chidem Prusicam, novam expeditionem,
quam ante te nemo tentare ausus erat, prope-
diem suscepturum. Ego, Argonautarum po-
stremus, sive medicata aqua, nauteae iniurias
abstersurus, sive, ut Mathematicorum mos
fert, facili hypothesis, res intricatas evoluturus,
navali praekonio, nauticoque sermone, novum
amo-

amoris Navarchum salutare, quævis possum, res
mis velisq; contendam. Igitur, honori tuo ve-
lificaturus, fluviorum Præsides, dulcibus quæ
immorantur aquis, me inclamant, ad Patrem
Matremque eorum, ante omnia digitum in-
tendam, nec insalutatos præteream: nisi
Æoli procaces auras, & Naiadum iras, experi-
ri forte, aut pertimescere vellem. Itaque ad
præpotentem illum maris scilicet Deum con-
versus, video veteres Poetas, imperium ei in-
tres, tum quidem cognitas, Orbis terrarum
partes, quod eius insignia Tridens, tacite innu-
it, vindicasse. Tu quoque, GERHARDE
THOMAS, ad regimen huius Reipublicæ nu-
per admotus, imperium obtines, eiusque com-
moda feliciter provehis. Nec vero publice
cum illo paria ut facias, sed privatam eius fe-
licitatem ut æques, tua interesse puta: ne,
quod DEVS avertat! in ea familia, quæ ad
iuvandam salutem publicam, supra invidiam
hic effloruit: ac præterea celeberrimos claris-
simosque in Europa viros, affinitate sibi iun-
ctos habet, solitudinem inducas. Inter Deo-
rum familias, unius Neptuni, quæ mares, quæ
foeminas, amplissimam exstitisse, Comes ille
Mythographus perhibet. Tua quidem, Vir

in clyte, five fatorum consilio, five quod rario-
res sint, præ cæteris quæ excellent, ad monadi-
cos fere redacta est numeros. virtute interim
tua auctum iri æternitatem, certo sibi pollice-
tur. Porro, fabulosa antiquitas, potestatem fe-
dandi tollendique maris fluctus eidem affin-
xit: etiam corda amantium, divino furore
correpta, ac velut œstro percita, maris instar
fluctuant, agitantur, effervescent. Iam de
navibus, quarum ille curam suscipit, quid di-
cam? Solent illas vulgo in longas & breves,
parvas & magnas, dispescere, a quibus amo-
rem quoque longum & brevem, quantitatis ra-
tione, si non molis, virtutis certe: ut & ma-
gnum & parvum, secundum temporis incre-
menta, rectissime dici posse, Logici existimant.
Ad longas Bellicæ potissimum referuntur,
quæ nostra ætate, inter tot funestas Europæ
Asiæque clades, ubi omnis fere Oceanus huma-
no sanguine diluitur, visuntur passim celebra-
turque. Ni totus fallor, amantium hæc quo-
que turba, in ipsa pace, hic classicum canit, &
novum ac intestinum bellum meditatur, sed ut
fine, sic fructu, ab illo longe diversum. Illic
namque regna suis exhauriuntur incolis, pro-
vinciis orbitates vastæ inducuntur: hic huma-
ni ge-

ni ge-
fat.
para
misl
men
lic d
tur
pare
res n
succ
Sau
ante
qua
rint
pti
tem
ran
Sec
Ne
no
eto
dar
en
pu
ip
nia
z

ni generis architectrix, eorum mala compen-
sat. Illic violatam pacem, per multa lustra re-
parare frustra nonnunquam tentamus: hic ad-
missione intima, una sæpe nox, aut horæ mo-
mentum amnestiam facit, irasque terminat. Il-
lic dubio eventu, & ancipiti haut raro pugna-
tur Marte: hic evidens victoriæ signum com-
paret: quoniam Antagonista tuus, tales maio-
res numerat, quæ cum viris commissæ, semper
succubuerunt. Refert quidem Hippocrates,
Sauromatas, vicinæ Scythiæ Amazones, non
ante virginitatem deposuisse abdicasseque,
quam tres minimum hostes, e medio sustule-
rint. hinc, ut arcum & arma tractarent prom-
ptius, etiam mollissimam illam corporis par-
tem, quæ cœlestis terrestrisque Sphæræ figu-
ram refert, aburi sibi avelli que passas fuisse.
Sed apage hæc cauteria, divinos circulos, quos
Neonymphi in deliciis habent, turbantia. Bo-
no animo esto, o Sponse, cernemus te profe-
cto victorem cum exuviis redeuntem. Ad hæc,
dantur etiam naves Piscatoriæ, piscium capi-
endorum gratia, fabricatæ. Parum referre
putat Philosophus, sive amorem capiamus, sive
ipsi ab amore capiamur. interim, qui tyroci-
nia in hac arte posuerunt, nullum magis,

quam nocturnum tempus piscationi idoneum esse, uno ore profitentur. at quicquid sit, boni piscatoris erit, quaecumque tempora captare, occasioneque invigilare, ut Vranoscopus, minime vulgarem, aut ignobilem hanc fuisse piscaturam, vagitu non minus, quam voce, testetur. Sunt & Corbitæ, tardissimum navigiorum genus, a corbe in ipsa mali summitate sic dictæ: sunt contra Actuariæ, quæ velocissime in altum feruntur, viam vorant, & quam citissime se expediunt. non explicabo me. sed M. Alexandrum cogito, qui angustas Hellespontis fauces, multo molimine, magnoque conatu traierit. idem tamen Ciliciam, Persarum cruore inundatam, & Gangabelam, ubi campi devictorum ossibus strati erant, uno impetu superavit. Dantur etiam naves Malignæ, seu Piraticæ. sed non est, malignam uxorem, quas passim metuunt, ut pertimescas: nescio enim, quo felici fidere, in BENIGNAM, o utinam ter & amplius! incideris. Ad navium partes & instrumenta vado: Proram, Oculum, Insignia, Thronum & Gubernacula, quarum ope Navarchus, quo vult, navem trahit flectitque: Dominium eminens Marito, & quæ sunt uxoris erga virum officia, apprime commendant.

Malus

Malus, seu arbor, navis specialius amantes ad-
monet, ad perpendiculum vitam instituant:
Cornua Antennæ, ne vela, ultra quam par est,
in amore laxent: aut, verborum peripheria,
ab animi centro, inæqualiter aberrent. Quid
Anchora? Religionem signat, pietatem, mo-
rumque similitudinem, ad connectendas ami-
citas firmisimum vinculum. Vela, seu Car-
basa, quid innuunt? Rerum copias, Vento, seu
fortunæ permittendas esse: harum enim vani-
tatem in nuptiis, ipsa Iuno pronuba docet, quæ
divitiis æque, ac aeri præsidet. A Rudentibus
& nauticis funibus, secundum legis rigorem
non omnia exsequenda discat Maritus, ne for-
te zelotypus videatur, & uxor eius culpa pec-
care audeat. Acus Marina, aut Magnetica, vi-
arum illa fidelis monstratrix, etiam in tenebris
quam commodissime navigationem institui
posse, monstrat. Hæret adhuc in ambiguo,
num meliori iure amor Magnes, an Magnes a-
mor dici possit ac debeat: adeo amorum ille
Magister, pro speciei perpetuitate, vi Magneti-
ca, ad centrum suum cuncta rapit, adigit, com-
pellit. Quare etiam hic,

Nobile naturæ florentis in Vrbe Theatrum;
Nexibus arcanis, una recludet Acus.

His

His dictis, monitus e Carina profilio: ut Coelum adorem, inque partes meas advocem. Dii Connubiales, quam suavissimam hic harmoniam video! Cepheus Rex medium coeli iam occupat, & Andromedam Perseo nuptum locat. Castor & Pollux, salutaria nautarum nomina, in horizonte iam capita erigunt, & amantissimorum inter se fratrum, in sinu Matris ludendorum aliquando, spem maximam ostentant. Iupiter, quem solum e Planetis, in Signo multorum liberorum video, Ioviales plane, id est, pulcræ staturæ, boni animi, graves, & in actione prudentes, iustos, liberales, divites, honoratos & felices natos natusque futuros, ominatur. Plura volebam, nisi Sol ad Virginem properans, in cuius nunc stas Horoscopo, Coelestem hanc Philosophiam, ortu suo intercepisset. Igitur, contraho prolusionis meæ vela, & tenui Celeusmate, navem ficulneam, in Portum humanitatis tuæ subduco. VALE, Patriæ decus, & BENIGNÆ DEÆ tuæ, non Tabulam Votivam, quam Neptuno, in litore maris Nautæ consecrant. sed quod Æschines amantissimo Socrati, TEIPSVM. Iterum VALE, & Apollini Musarum Observantiam meam. Scrib. in navi, quæ vento subsolano ad Acropolin Prusiæ deferebatur.

☉ (*) ☽